



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Vera Concilii Tridentini Historia

Contra falsam Petri Suauis Polani narrationem

Pallavicino, Sforza

Antverpiae, 1670

Capvt XVII. Diploma Pontificis ad reformanda Vaticana Comitua. Mantuani propositio in conuentu de Mansione. Regis Catholici litterae ad Hispanos Praesules. Caesaris litterae ad suos Oratores. ...

urn:nbn:de:hbz:466:1-11718

Ita se habuit certamen illud inter primum Legatorum, & Segouiensem Antistitem: & reipsâ huiusmodi erat rationis fundamentum. Quisnam postea præcipuæ controuersiæ fuerit exitus, post multum temporis ac negotij, in historia constabit. Etenim quemadmodum Natura plus artis ac laboris impendit in ea opera, quorum effector ac receptor vnus & idem est, & in quibus vita bonæque constitutio cuiuslibet animantis fita est; ita prudentes hominum cœtus summam impendunt solertiam iis decisionibus, quarum iudices & iudicati iidem ipsi sunt, & ex quibus vita bonæque Reipublicæ constitutio pendet.

CAPVT XVII.

Diploma Pontificis ad reformanda Vaticana Comitua. Mantuani propositio in conuentu de Mansione. Regis Catholici litteræ ad Hispanos Præsules. Cesaris litteræ ad suos Oratores. Sessionis prorogatio Gallis postulantiibus prius Pontifici probata, postea improbata, sed serò. Lotharingi Cardinalis aduentus.

DVm Patres tam acri studio rem gerebant, Pontifex suam quoque operam nauiter locabat. Quò Reipublicæ Christianæ ac Synodo satisfieret, duo potissimum necessaria censebantur; emendatio Aulæ Romanæ, & Episcoporum mansio suas apud Sedes. Quod ad prius spectabat, complures à Paulo III. ac successoribus editæ fuerant salutare Constitutiones, quæ paulatim suauiter deleuerant plurimas ex pristinis corruptelis, partim, vt affolet, ab negligentia inductis, partim ab indulgentia. Sed adhuc reformandum supererat opus supra reliqua conspicuum, & à quo rectè constituto reliquorum probitas manat, hoc est, summi Pontificis electio. Hæc, quæ omnium inter mortales optimè constituta esse deberet, omnium pariter difficillimè institui posse ab humana prudentia noscebatur: leges reliquæ vim capiunt ad regendum à brachio executoris, dominantis in eos qui legibus obligantur; hinc lex præscribitur eiusmodi capitibus, quæ nullum sibi Principem agnoscunt cum illa obseruanda est. Ex altera parte, in re tantiponderis, priuatarum animi affectionum quasi incantatio, maximorumque Principum respectus, id cuique tamquam licitum depingunt quod in rem suam conducit. Iulius III. sicuti narrauimus, diploma post diuturnam consultationem dictauerat ad reformanda Comitua Pontificia: sed antequam ea lex à solemnè promulgatione

1562. ne vitam caperet, ob mortem legislatoris necesse fuit haberi Comitia. Iam verò Pius IV. conuerso in idem animo rem compleuit, missâque ad Legatos Constitutione, pollicitus simul est, complures alias se vulgaturum, & ad ipsos missurum, iam à se confectas ad Aulam emendandam. Sed notatu dignum est, eam de Comitibus Constitutionem, tamen iam fuisset vulgata quantum ad eius absolutam efficacitatem satis erat, tamen vniuersè sic latuisse, vt Pontifex in appendicula ad epistolam, quæcumque fuisset ratio, Legatis prohibuerit, ne per eos dies illam cuiquam communicarent. Legati lecto diplomate illud impensè commendarunt, respondentes pro more^a, optare se, vt lex aded sacrosancta ferè deduceretur in opus.

^a Epist. Borrom. ad Legatos, ultimo Octob. & Legatorum ad Borrom. 8. Nouembris 1562.

Quoniam autem Suauis affirmat, huiusmodi emendationum leges parum prodesse, cum eas liceat non exequi, oportuisset inuentum aliquod ab ipso tradi ad Christianam Rempublicam corrigendam quadam paginâ tantæ virtutis, vt ea postea electio à voluntate & efficacia executoris minimè penderet. Profecit ea Pij IV. sanctio, quod attinet ad rem ipsam, etiam in præsentia obseruatur, quin illi noua seueritas addita est per alteram Gregorij XV. sanctionem. Quare, tamen si spectatâ ideâ illius sanctitatis, quâ opus esset in eligendo Christi Vicario, animaduertatur ea electio in quibusdam deficere; contingit hîc perinde ac in maculis adamantis, quæ si forent in corpore manûs lucido ac terfo, non certè maculæ, sed decora viderentur. Exputet vnusquisque, quibus angustiis domicilij ac famulatus coarctentur in Comitibus diutius tam inelyti Ecclesiæ Proceres, & eorum complures senes, & imbecillâ valetudine, quàm multis vinculis iuramentorum ac censurarum in foro interiori, infamix & priuationum in exteriori illigentur; quot arcani repagulis ea peragatur electio: ac postea oculos conuertat ad alias plurimas rationes quibus conferuntur, & quavis ætate collati sunt principatus in orbe terrarum; diiudicetque, vllâne ad hanc accedat siue legis honestate, siue actionis dignitate. Si, quod amplius optandum superesset, tunc sperari poterit, cum Omnipotens dextera duo præstiterit beneficia; cum euellerit à Præfulum Ecclesiasticorum animis innatam in homine appetentiam dominatus, & efficaci asslatu Principes ita coërceat, vt electionis iudicium arbitriumque electoribus integrum illi relinquat.

^b Litteræ Borrom. 4. Nouembris, & ex supra alata epistola Legatorum ad ipsos.

Quo tempore Pontifex Christianorum votis in eo satisfecit, struerunt Legati Concilio gratificari in eo negotio mansionis. Communicauerant ipsi cum Pontifice^b paratum Decretum, quod quid ipse

ipse vellet cognoscerent, antequam Patribus proponeretur: ad quod efficiendum præstolabantur absolutam sententiarum dictionem de Ordinis doctrina. Sed mutato consilio utrumque præuenterunt, eo Decreto conuentui proposito, quamquam alterum, nimirum Pontificis comprobatio, postridie ipsis innotuerit, eoque illis charior, quod improbatio fuisset inutilior, quippe quod non consilium, sed ipsum opus improbaretur. Ad eam agendi festinationem impulsus sunt ab instanti Gallorum aduentu, cum cautius agi censeretur, si cœptum negotium, & non integrum hi reperissent. Dum itaque de Canone septimo disputatio vehementius feruesceret, Mantuanus cuiusdam cœtus initio in hanc sententiam verba fecit.

Acta Arcis
Æliæ, &
Diarium,
6. Nouem-
bris 1562.

4 Debitori cum statutum solutioni tempus aduenerit, procrastinandum non esse, ubi suppetit unde soluat: Legatos esse Concilio debitores in articulo mansionis, adesse solutionis diem, utpote promissa cum de Ordinis Sacramento agendum esset, Legatos quidem esse soluendo, adeoque dilationem recusare. Duo sibi superesse significanda, alterum quod commendaret, alterum quod rogaret. Prius esse, cum fuisset propositum in conuentu 11. Martij, ut excogitaretur ratio quâ Episcopi residerent, in quo niti videbatur bonus Ecclesiæ status, fuisse Patres transgressos nescio quo pacto ad id quod Legati numquam proposuerant, hoc est, ad disputandum, cuiusnam iuris esset debita Episcoporum mansio apud suas Ecclesias; atque à disputationibus ad contentiones progressos. Quò tunc declinaretur offensio, fuisse recisam tractationem, atque ad hoc tempus repositam. In præsentia ipsis considerandum tradi Decretum quoddam, ex imitatione veterum Conciliorum, ubi præmiis inuitarentur Episcopi, & pœnis adigerentur ad residendum: eam rationem videri & validiorem ad obseruantiam, & tutiorem à periculo, ne præterita certamina rursus excitarentur. Cæsari ac Regi Catholico illud probari, ac censi probatum iri pariter Regi Christianissimo, quando Lansacus ipsius Orator, tantâ auctoritate ac prudentiâ vir, palàm fecerat, se nihil laborare ex hoc an ex illo iure declararetur esse mansio, sed tantummodò ut ea obseruaretur: ab eo qui erat à secretis cunctos audituros Decretum: munus esse Legatorum, illud proponere, Patrum iudicare: ad hoc iudicium spectare id, quod secundo loco ipsos rogaturus referuarat: præ oculis haberent, esse se lucem mundi, à Deo positam in monte, & supra candelabrum Ecclesiæ. Decere ipsos disceptare sacræ Scripturæ Patrumque testimoniis, non iris & contumeliis: nullam

effica-

Historiæ
Concilij Trid.
Sess. III.

1562. efficaciorē congruentiorēque superesse rationem ad obliterandam memoriā præteritæ acerbitatē, quàm pacem ac modestiam in futuris congressibus.

His dictis, ab eo qui à secretis erat recitari Decretum iussit, quò Patres maturè sententias ferrent: dein verò de Ordinis doctrina sermones habiti. Sententiam huiusce Decreti non affero, cum ali- bi præferenda sit, postquam eà sæpius mutatâ ac reconcinnatâ, res tandem absoluta est.

Multis hîc erroribus implicat se Suavis. Quatuor à Legatis ex- gitata consilia describit, habitamque inter eos consultationem, unde id consilij suscipere; ignorans, agitata consilia fuisse solum tria, & huius suscepti electionem à Pontifice profectam, sicut indicauimus. Quin cum ipse antea falsò narrasset, significasse Pontificem, curandum primo loco, vt in ipso negotium reponeretur: si verum id foret, quo pacto licuisset Legatis hoc ipsum præterire, & extem- plò proponere sanctionem præmiis ac pœnis refertam? Verum qui- dem est id quod fortasse decepit Suauem^a, suasisse Pontifici Vice- comitem, vt sibi rem remittendam curaret, id plerisque Patrum in Synodo postulantibus, simulque dissuasisse, ne Constitutio proponeretur; sed responsum est, prius haud placere Pontifici, posterus placere, quod sententiæ Bolani Brixienfis Episcopi consonabat, id- que à Borromæo Legatis significatum fuisse.

ad Epist. Vice-
comitis ad
Borromæum,
5. Octobris,
& responsum
13. Octobris
1562.

Multò minùs intropexit Suavis causam, quæ rei proponendæ moras abruptit, cum id ipse querimoniis Præfulum ob cunctatio- nem tribuat: sed nullus reipsa tunc de eo sermo erat Patribus, feru- idâ Episcopatus disceptatione occupatis. Verùm Legatis calcar sub- didit Gallorum aduentus, sicuti narratum est.

Denique quoniam comminiscitur, huiusmodi Decretum pro- positum Patribus parum placuisse, satis mihi sit, illi opponere con- traria verba Petri Confalui Mendozæ Episcopi Salmanticensis, quæ sunt: *Ingenti omnium alacritate*. Nec ampliùs in præsentia de Suauis.

Idem Mendoza scribit, Cum certò constaret de proximo Gallo- rum accessu, fuisse Hispanos admonitos ab eo qui Piscario à se- cretis erat, nomine regio, audiri, novos illos Præfules aduen- tare animo haud benè affecto in Apostolicam Sedem. Quocirca suos à rege iuberi, vt eam neruis omnibus tuerentur, cum id po- stularet Dei obsequium & Reipublicæ Christianæ, eà præfertam tempestate, quâ sacrosancta illa Sedes tam concordī conatu ab hæ- reticis oppugnabatur & quatiēbatur. Respondit Mendoza, grates
à se

à se Deo persolui, quòd mentem sibi iniecisset Regiæ conformem, antequam sibi illius iussio innotesceret; unde fortasse ipsius operà multa in Pontificem detrimenta defuissent. Eisdem animi sensus profitebatur Guerrerus: etenim tam ipse, pro eo quod scripsimus, quàm reliqui, concedebant summo Pontifici Iure Diuino prerogatiuam supra Episcopos, potestatemque eos suspendendi & priuandi. Quapropter idem in confessu hac suâ mente patefactâ, simul conquestus vehementer fuerat, quòd à quibusdam ipse & reliqui Nationis suæ appellarentur auersi ab Apostolica Sede, quæ semper ab ipsis vel sanguine fuerat ac fuisset propugnata.

1562.

Epistola Oratoris Florentini ad Cosmum Ducem, 5 Nouembris 1562. & varæ litteræ Iadrensis Archiepiscopi.

Litteræ signatæ vltimo Septembris & 4. Octobris, & Tridentum delatæ 15. Octobris 1562.

20 Septembris 1562. in com. eno. rato volumine Gallico.

8 At Ferdinandus aliquod coniunctionis genus cum aduenturis Gallis iniunxerat suis Oratoribus. Ad eos scribebat de præteritæ Sessionis successu, rei gestæ acquiescendum esse; tibi verò curæ futurum id quod suorum subditorum saluti conduceret, quod spectabat ad impetrandam Romæ Calicis concessionem. Ægro admodum animo audiri à se, complures Episcopos ad suspendendam Synodum propendere; quamobrem velle se, vt Oratores pro viribus obisterent. Conqueri se pariter, quòd intelligeret, de morum emendatione vota tepentia præ se ferri à reliquis, exceptis Gallis. Studerent Oratores efficere, vt in eam incumberet omni curâ Concilium, sepositâ dogmatum tractatione, aut certè vtroque simul opere promotò. Confidere se, plurimum ad id profuturum nouorum Galliæ Præsulum aduentum: cum his concorditer se gerent Oratores sui: vbi vniuersalis emendatio obtineri non posset, quemadmodum vtilitas Christianæ gentis postulabat, suarum propriam ditionum conquirent. Et quando Præsides sibi significarant, in volumine à se misso haberi quædam, quæ si proponerentur, offensionem animique molestiam Synodo allatura essent, ea Oratores auferrent, reliqua verò proponerent. Præcipuo studio remedia perquirent Clericorum concubinatui, simoniæ, luxui, prauæque distributioni prouentuum Ecclesiasticorum. Addebat, suas ad aures peruenisse declarationem Gallorum, quâ ostendebant, molestum sibi futurum aduentum Lunensis Comitatus titulo Oratoris Cæsarei (id erat in animo Hispanorum, & à Pontifice proponebatur ad euitanda prerogatiuæ litigia) de rei veritate perquirent, ac se temporariorem facerent. Et vox illa, quam Cæsar audierat, haud vanam trahebat originem: siquidem Lansacus ad Reginam scripserat, id vbi accideret, nec ipse prius mandatum regium oppositum accepisset, nolle se Lunensi cedere, nisi præmissâ Synodi declaratione,

Pars III.

Gg

tionem,

Historiæ
Concilij Tridentini
Liber III.
Siv

1562. tione, sibi tamquam Oratori Regis Christianissimi primam sedem post Cæsareos Oratores deberi.

Ceterum Galli, intento animo ad impetrandam moram tantisper dum Lotharingus accederet, se leniter gerebant. Quare cum ipsis

h Responsum Legatorum ad Borrom. 22. Nouemb. 1562.

i Litteræ Insulant ad Reginam, 2. Octobris 1562.

k Litteræ Legatorum ad Borrom. 9. Nouemb. 1562.

traditi fuissent parati Canones ad reformandos mores^h, summo opere eos commendabant, tantummodò desiderantes, ne per quamcumque limitationem Sacerdotiorum multitudo permitteretur, quamquam de hoc eodem postulato paulò antea subridens Pontifex Oratori Gallico dixeratⁱ: Valdè idoneum ad illud promouendum fore Lotharingum, qui plurima Sacerdotia possidebat, trecentis scutorum millibus inde prouenientibus in annos singulos: *Nos verò* (adiecit Pontifex) *unicum obtinemus, eoq; contenti sumus.*

Lansacus postea^k à Legatis petierat, vt dies aliquot protraherent Sessionis diem, propositionemq; Canonum, de quibus dictum est, quandoquidem Lotharingus non modò discesserat, sed iam propè aderat. Faciles ad id se præbuerant Legati duplici ex causa: altera, quòd ipsis iniunxerat Pontifex, vt decem aut duodecim dies illum præstolarentur, vbi certum esset eum intra huiusmodi spatium adfuturum; id autem liquere videbatur ex litteris Piscarij, quibus certò ac disertè affirmabatur, propè iam esse Lotharingum: altera, quòd ex antegressa intermissione conuentuum ad conueniendum de septimo Canone cum Hispanis, & ob prolixas super eo Patrum disputationes, adhuc immatura supererant reliqua argumenta, quæ imminenti Sessioni parabantur. Lansacus optatâ cunctatione potitus, haud ægrè tulit, vt interim proponeretur Decretum de mansione, sibi à Legatis ostensum; ac per eam occasionem iterum insinuauit, se nihil laborare, hoc an illo iure præcepta declararetur mansio; quod in memoratum conuentum retulit Mantuanus.

l Epist. Legatorum ad Borrom. 9. Nouemb. 1562.

m Prædicta epistola, & Diarium eodem die.

Discessit Lansacus^l, obuiam iturus Lotharingo, & Ferrerius dilationis postulatum iterauit, eamq; ad dies quindecim petiit: etenim, sicut ipse aiebat, eodem die duodecimo Sessioni præscripto peruenturus erat Lotharingus; idq; Mantuanus proposuit in cœtu^m nonæ diei. Dixit, prætermissionem cœtuum postremis diebus, compertam omnibus, nec sine dolore memorabilem, vtpote ab humanis animorum affectionibus profectam, impedimento fuisse, ne ad diem præstitutum argumenta digererentur; adeoque censere Præsides Sessionem ad alios quindecim dies esse retardandam: præterquam quòd breuî Lotharingus Cardinalis adfuturus erat, cuius doctrina, prudentia atque dignitas etiam solæ per se eam cunctationem

tionem merebantur. Cui omnes consensere; quin aliquibus nouus 1562.
terminus visus est angustior.

11 Cùm aduentaret Lotharingusⁿ, Pontifex ad significationem hono-
rificentiæ obuiam illi misit Româ, cum eodem postea venturum
ad Synodum, Carolum Grassium Episcopum Montis Falisci, &
postmodum nobilioris coloris veste cohonestatum: consimilem
urbanitatem Legati per Vrbanum Roborem Senogalliensem An-
tistitem adhibuerunt. Grassius perfunctus erga Lotharingum in-
iunctis officiis, eum postea Tridentum^o anteuenit, ob causam
quam mox exponemus; Senogallienfis verò ipsum comitatus est.
Ex his alter coram cunctis Legatis, alter per litteras ad Mantua-
num multa retulerunt^p de miti religiosoque Lotharingi animo,
longè alia ab iis quæ fama vulgarat, & suspicio crediderat. Quin
Grassius narrauit, tantâ illum pietate in Apostolicam Sedem esse
præditum, vt etiam obtulerit, se in conuentu sententiam non di-
cturum, quam antea Pontifex non iustrasset. Sed aduersa prior
opinio tam constanter obduruerat, tam altè inhæserat hominum
iudiciis, etiam prudentiorum rerumque peritiorum, vt quamuis
ineandem sententiam cum Pontifice verba faceret Orator Galli-
cus, pro ignauia haberetur, habere fidem melioribus huiusmodi
nuntiis. Ac per eos dies scripsit Amulius ad Seripandum^q: Cùm
bona verba sint quædam merx parui pretij, opus esse ad ferendum
de animi sensu iudicium, manum non linguam adspicere.

12 Nolo in hoc negotio dissimulare rem gestam, cuius notitiam
à me plurimi mercatus esset Suauis, vt eam acu suâ pingeret, ac va-
riaret. Quamquam verum sit id quod ipse narrat, Pontificem
haud consentaneum rationi duxisse aduentum Lotharingi Sessione
præuerrere, iussis proinde Legatis, sicuti dictum est, eam proroga-
re: verum quoque est id quod Suauis ignorauit, fuisse postea in
Pontifice mutatam sententiam; quocirca per expeditum tabella-
rium^r Legatis mandatum reuocauit, & prolationem prohibuit:
& quò vnâ cum re gesta eius pariter causa innotescat, opus est ali-
quanto altius narrationem redordiar. Ante mensem & amplius
Orator Gallicus iterauerat apud Pontificem consuetas petitiones
moræ, quò Lotharingus Cardinalis expectaretur, & qui descieue-
rant ad Concilium traherentur. Sed primò Pontifex conquestus
erat, quòd ex vna parte, cùm Synodus per aliquem etiam rarum
euentum quidquam aggrediebatur se petente, Principum administri
expostularent, quasi Patribus à se libertas adimeretur; ex altera ve-
rò, se quotidie stimulari, vt hoc illudve, quod ipsis placeret, à Con-
cilio

ⁿ Epist. Pon-
tificis ad Le-
gatos, vlti-
mo Octobris
1562.

^o Diarium,
11 Nouem-
bris.

^p Litteræ Le-
gatorum ad
Borrom.
12. Nouemb.
1562. & Mu-
tensis ad
Morotum,
eodem die.

^q Litteræ A-
mulij ad Se-
ripandum,
à Musotto
asseruatae.

^r Epistola
Legatorum
ad Borrom.
10. Nouem-
bris 1562.

^f Epist. Insu-
lani ad Re-
ginam, 2. O-
ctobris 1562.

Historia
Concilij Trid.
Caroli III.

1562. cilio conquireret. Postea subiecerat, moras hæc postulari ex vanissima spe efficiendi ut Synodo subiicerent se Britannæ Regina ac Protestantes, qui numquam ibi interfuturi erant, satis certi, non nisi proscriptiones inde se reportaturos: aduentum quoque Lotharingi sæpè incassum fuisse promissum: sibi nuntiari, Lotharingum tunc ad alia prolixa negotia distrahi; at ubi reuerà iter ageret, & ad eum prætolandum opus foret paucos dies Sessionem protrahi, suam ad id operam impensurum.

Post breue temporis spatium, & in eodem colloquio cum Oratore, Pontifex suspiciones de immodicis Lotharingi consiliis apud se confirmarat. Etenim cum postremò adductus ad ipsum fuisset ab Oratore Bartholomæus à Bono, Regis familiaris, qui recens Romam aduenerat, & redeundi in Galliam petebat veniam; Pontifex, quò ille ferret spargeretque in eam regiam proba consilia, eadem cum eo verba repetit de Concilio, quæ cum Oratore illic adstante iam habuerat. Bartholomæus verò plura de Lotharingo Cardinali, eiusque sensibus ad hugonottos pacandos locutus est, narrans, Lotharingum sibi die quodam significasse, Salubre consilium à se putari, ut Missæ Diuinæque psalmodiæ Gallico idiomate celebrarentur, & pro eo quod ipse in Ecclesia Rhemensis peragebat, eodem sermone administrarentur Sacramenta. Ad quæ Pontifex placidè respondit, licere Cardinali id Synodò proponere, sed in Germania minimè profuisse.

Non tamen ex ea, aliisque similibus narrationibus Pontifex à promissa mora recesserat, quin illam confirmarat: cum enim Abbas Mannensis¹ ipsi diceret, putandum esse, Lotharingum id temporis iam iter facere, rogaretque Pontificem ne Cardinalem cogere ad iter adeò præceps, adeoque vitæ suæ periculosum, cuiusmodi fuisset, si festinaret adesse Tridenti præscripto Sessioni die, sed commodum octo dierum spatium adhuc illi concederet, quæ mora nihil detrimenti Concilio, magnum Cardinalis incolumitati momentum afferret; respondit Pontifex, Se commendaturum Legatis ut consensum Patrum curarent, dummodò constaret, Lotharingum se iam in viam dedisse, & hoc ipsum ab illo postulare. Re ipsa Tridenti de itinere constabat, & ab Oratorum postulatis, Cardinalis simul ac Regis nomine, illius postulatio supplebatur. His conformia locutus erat Pontifex cum Grassio, dum ad Lotharingum mittebat: sed res postea variis modis priorem speciem mutarat.

Scripserat Lansacus² Tridento ad Regiam exeunte Octobri, 1562.

¹ Litteræ Borromæi ad Legatos. 4. Nouemb. 1562.

² 26 Octobris 1562. in numerato volumine Gallico.

se omni conatu dissolutionem Concilij, de qua sermo habebatur, impediturum; adiecitque id quod de Romanis Pontificibus sæpè suos ad Principes scribunt Oratores, decepti vocibus Aulicorum, ambitione & insatiabili famâ laborantium, adeoque propinquam semper eclypsim præfagientium, quâ mundus inferior perturbetur; expectari ex plurima verisimilitudine vicinum obitum Pij, senis & infirmâ valetudine. Proinde sibi significaret Regina, quo pacto & quo loco, id si contingeret, ipsa mallet electionem haberi, an Romæ à Cardinalibus, an Tridenti à Concilio: illâ siquidem cum Hispano Rege concordi, certum rei exitum pro ipsorum arbitratu futurum. Existimare se, ad euitandum omne schisma, optimum fore, si creatio retardaretur vsque ad exitum Concilij, & in eo leges futuro Pontifici præscriberentur, cui postea minimè licuisset illisiam sancitis se subducere.

1562.

- 16 Ea Gallicorum ministrorum molimina, quantum mihi videor animaduertere, Romanam Aulam haud latuere. Illud extra dubitationem affirmare possum, postridie quàm Pontifex ea postrema Legatis Concilij commisit, Abbatem Nichettum, à Legato Gallicæ missum, illi significasse, tamen si Lotharingus Cardinalis ac socij sese ostenderent, & fortasse suos apud animos se putarent agnosce- & angelos; absona tamen opinamenta ferre, ex quibus laboris plurimum perturbationisque posset enasci. Ferrariensis etiam Cardinalis suo chirographo Pontificem monebat, Lotharingum quidem sibi asseueranter affirmasse, rectam in se mentem inesse de duobus præcipuis, de quibus ipsum certum reddi studuerat, nimirum, ut auctoritas Pontificia illæsa persisteret, & ne Synodum prorogandam ipse curaret; tamen prudentem sibi cautionem videri, si Legati defensionem molirentur, parati que forent ad obsistendum, & ad suam adhibendam auctoritatem cum iis, quibuscum oporteret, cum præualida euadat munitio, ipse animus ad excipiendam sustinendamque aggressionem paratus: & in publicis rerum Gallicarum narrationibus, ab eo missis ad Pontificem, habebatur, audiri, Cardinalem suosque Parisienses accedere paratis animis ad excitandam quæstionem de prærogatiua inter Synodum ac Pontificem.
- 17 Cunctæ huiusmodi notitiæ simul coactæ adduxerunt Pontificem ad eam duram conditionem, ad quam rediguntur nonnumquam Principes, aut suæ famæ aut publicæ salutis lædendæ; ratusque minus malum se lædere, deuenit in consilia specie quidem periculosa, ac vituperationi obnoxia, quasi aduersantia meritis Nationis, ac promissi vinculo, quò Synodus celeriter conficeretur.

x Litteræ Borromæi ad Legatos in communi, & ad Mantuanum fecerunt, 6. No- uembr. 1562.

G g 3 simul

Historiæ
Concilij Tridentini
Lib. 18. Cap. 17.

1562. simulque sibi cautum esset ab eo torrente, qui, prout metuebatur, ingruerat ad prosternendam auctoritatem Collegij ac successorum, à quâ rebatur Ecclesiæ, adeoque Fidei unitatem pendere; idcirco tam festinatò retardationis mandata reuocauit. Quamquam enim animaduerneret, etiamsi aduentum Lotharingi eâ Sessione præoccupasset, non idcirco materiam turbidis illius consiliis subtractum iri; considerauit tamen, & Legatis proposuit, non modico futuram emolumento antecedentem decisionem duplicis articuli, vnde facilius accendi posset seditio de mansione & institutione Episcoporum, qui articuli eâ Sessione erant definiendi.

Sed hæc mandati reuocatio serò peruenit, cum pridie decreta fuisset prorogatio. Quod graui notâ Pontificem Synodumque liberauit: siquidem cum ea inscriberetur essetque Oecumenica, coacta per antegressam inuitationem cunctarum gentium Christianarum, nimium contra suum nomen & officium egisset, si dum egregia illa Præsulum cohors præ foribus stabat, fuissent, vt ita loquar, depulsi, præuertente eorum accessum per diem vnicum Sessione, adeoque patefactâ opinione, tum de illis, tum de inclytatione Galliæ, aut vilissimâ aut pessimâ. Quamobrem etsi Legati significarent Pontifici, se magnam molestiam passos, quòd ipsius rursus tempori non accepissent, animaduerneret mihi videor, eos in sinu magnæ id sibi prosperitati duxisse.

Paucas post horas Fererius ab illis petiit, vt quando Lotharingus Piscariam iam peruenisset, triduo illinc distantem, cœtus vsque ad ipsius aduentum intermitterentur, quò maiorem sententiarum numerum audire posset in quæstione quæ tunc feruebat, de Episcoporum auctoritate. Præsides considerarunt, ex vna parte moram illam ad summam rei parum conferre, quandoquidem non plures quàm octo decemve in conuentu diebus singulis loquebantur, adeoque impediri non posse quò minus Lotharingo liceret pet tempus dimidiam certè sententiarum partem audire; sed ex altera, gratificationis dulcedine, aut amaritie repulsæ nimium posse oris sensum variare in eo primo libamine, eaque propter prompto animo consensere. Adfuit paulò post Grassius præmissus à Cardinali, vt suo nomine prorogationem peteret, quam impetratam ignorabat^y: eiusque litteras attulit ad Legatos, Brixiam scriptas^z, in hanc sententiam: Videri sibi, vtpote Synodo iam propinquo, aliquam obsequij significationem præmittendam erga ipsos, qui Præsidium munere fungebantur, ratum, se prius fuisse per illud officium me-

^y Apparet ex epistola Lotharingi ad Pontificem, infra adducenda.

^z Hæc epistola scripta die 9. Nouembris, & responsum 12, extant inter commentarios Burghesiorum,

ram reuerentiam exhibiturum, quoniam tum ipse tum comites diligentiam omnem impenderant, vt ante destinatum Sessioni diem peruenirent. Verùm cùm ipsis nec celerius iter conficere licuisset, nec iam per summam lassitudinem liceret in tempore adesse Tridenti, illos à se rogari, etiam nomine venerabilium illorum Præsulum comitum suorum, vt paucos dies Sessionem retardarent. Episcopum Montis Falisci ad se missum à Pontifice, vt ipsum inuiserret, ac deduceret; qui sibi significarat, habere se in mandatis, vt idem peteret à Præsidibus Pontificis nomine. Cùm spatium tam angustum cerneret, voluisse iter festinare per dispositos equos, vt id muneris coràm exequeretur: idem etiam præstiturum Ferrerium, ad quem ipse ea de re scripserat. Postremò se petere à Legatis, vt per alterum ex illis, quid ipsi statuerent sibi significarent. Atque ita nutu quodam reuerenti ac remoto illis indicabat, velle se hanc anticipatam notitiam, quia fortassis haud postea existimasset posse cum dignitate sui Regis suæque nationis adesse Synodo, si hæc per repulsam ostenderet aut superuacaneam aut suspectam à se censei propinquam illam honestissimorum collegarum cohortem.

20 Legatorum responsio amorem simul & honorem abundè præstitit. De mora Sessionis rescribere, opus minimè fuisse litteris Cardinalis; ad simplicem Oratoris petitionem in longius quàm necesse foret spatium fuisse protractam. Addebant, ad æstimationis amorisque argumentum, eo ipso die paratum cœtum ab ipsis esse reuocatum, eò quòd Ferrerius dixerat, gratum Cardinali futurum, Patres audire super Ordinis argumento, quod tunc agitabatur. Cum hoc responso Grassium remisere.

21 Diu habita sunt consilia de excipiendo Cardinali. Rem describens Suauis dicit, & fortasse in probatis monumentis reperit, exceptum fuisse eo modo, qui videtur in Diariis vsurpatus cum eodem Cardinali à Legatis Concilij Bononiam translatis, cùm ille Romanam pergens illac iter habuit; & tamen reuera ita non est. Tunc Legati obuiam illi vsque ad Urbis^a portam iuere, veste Carbasinâ, Rocchetum vulgò dicunt, quæ vrbani habitus est: nunc verò visus est aspectabiliorem personam agere, dignamque honore ampliore. Quare non solùm præmiserunt obuiam longo itinere ipsorum familias^b cum Episcopis compluribus; sed ipsi quoque extra Tridentum per aliquem viæ tractum exiuerunt, & habitu viatorio, iis omnibus per Grassium illi prænuntiatis. Duo primarij Legati in medio ipsum collocarunt, reluctantem in hoc eâ repugnantiam, cuiusmodi

^a Litteræ Legatorum ad Borrom.
12. Nouembris 1562.
^b Litteræ Legatorum ad Borromæum,
16. Nouembris. Diarium 19. & Acta Palcosii.

Historiæ
Concilij Tridentini
Liber III.

1562.

modi esse solet, quæ non meri officij causâ, sed ex animo habetur, tametsi eandem honorificentiam illi Bononientes præstitissent: duo reliqui Legati cum Madruccio subsequerantur, & post illos Oratores Ecclesiastici Cæsaris & Regis Poloni, & centum ac triginta vnus Præsules, absentibus reliquis, propterea quòd eius aduentus expectationem celeritate præuertit. Ante illum ferebantur in equis Oratores laici tum Veneti, tum Galliæ, tum Florentiæ: cum Cardinali venerunt quatuordecim Episcopi Gallici^d, tres Abbates, & duo de viginti Theologi, plerumque Sorbonistæ, & hi sumptu regio: reliqui à peculiaribus Episcopis adducti. Eius aduentus apud complures metum in lætitiã vertit, siue ob eam voluptatem, quam secum semper affert maiestas amicam speciem induta, siue ob eam occultam vim, per quam in homine recti animi sui habitudinem aliis persuadent, eiusdem dicta nescio quo soni, actuum, & oris temperamento condita, supra quàm omnis eloquentia aut literis aut legationibus enitatur.

^e Epistola Fulcararij ad Moronum, 16. Nouembri 1562.
^d Epistola Legatorum Episcopos 12. numerat: sed reliqua monumenta 14. Causa varietatis est: quia duo ex illis 14. alt-quantulum retrò subistere valetudinis causâ, vel scribit Orator Florentinus ad Ducem, 16. Nouemb. 1562.



HISTO.